Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26418
Copyright: Admont, Benediktinerstift

inmergens tibiis gentilium certaminum incunc
tanter se optulit. Cumque de ea imperatori nuntiatum
fuisset: ad se eam ingredi precepit et quid uellet loqui
.III. permisit. Stans itaque beata Caterina ante ianuam
templi. per uarias dictiones enigmatum. per ua
rias conclusiones sillogismorum allegorice.
et metonomice diserte et mystice cum cesare
multa disputauit. ad postremum uero rediens ad
commune eloquium dixit. Hoc tibi specialiter rex. et
tamquam sapienti et in tanto culmine dignitatis
posito proferre curaui. nec autem ut simplicitati et
omnibus intelligentibus loquerer. Quare incassum con
gregasti hanc multitudinem ad colendam stul
.IIII. ticiam atque errores ydolorum. Miraris hoc templum
manu artificum operatum. miraris ornamenta
preciosa. et uario ope compta. que uelud puluis
ante faciem uenti erunt. Mirare potius celum et terram.
mare. et omnia que in eis sunt. mirare ornamenta celi
solem uidelicet et lunam et stellas. mirare fa
mulatum eorum qualiter a mundi initio usque ad finem
die noctuque currunt ab occidente et redeunt
ad orientem. et numquam fatigantur. numquam deficiunt.
Et cum hoc animaduerteris. interroga et disce quis
sit ille a quo et per quem hec omnia creata sunt. et per quem uniuersa